

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1060

1058

1064

1054

1069

1049

1109

1009

0959

0559

0059

Ende

Anfang

487

impolita. Et ita etiam est de vitulo supra dicto, in (55 a)  
quo deceptus visus exercuit error inter orientales utrosque,  
scl. Christianos et Sarracenos, ita quod credunt, quod diabolus  
tulit vitulum aureum, quem Judaei fecerant, ut dictum est, et  
eum in locum illum transtulit in perpetuum Judaeorum scan-  
dalum et verecundiam, et ne ab aliquo removeri possit, fecit  
Deus, quod nemo ipsum invenire valeat. Sed hoc dictum est  
omnino falsum et contra Bibliae textum, Exodi 32., ubi dicitur,  
quod Moyses arripuit vitulum aureum et contrivit eum usque  
ad pulverem, ut statim patebit.

Demum ab hoc phantastico vitulo nos convertimus et in  
processu venimus ad foveam satis magnam et profundam, sicut  
piscina, in qua erat aqua multa, quae emitti potest ad irriga-  
tionem horti. Hanc lacunam dicunt semper ibi fuisse et non  
arte vel industria factam, sed a natura, in quam decurrunt  
tempore pluviali aquae. Moyses autem cum vitulum aureum  
in pulverem contrivisset, sparsit pulverem in aquam hanc et  
adducto populo dedit eis potum ex eo, et qui culpabiles erant,  
remansit aureus color circa ora eorum, ita, ut barbae eorum  
viderentur aureae et male ex potu habebant ventris inflaturam,  
qui vero in hoc scelere nullam culpam habebant, aquam sine  
laesione sorbebant, nec aliquid de auro in faciebus eorum ap-  
parebat; haec Exod. 32. et in postilla Lyrae. Similis fons le-  
gitur esse circa Thiana Jovi sacer. Is quidem plurimum  
mirabilis est, unde, ut fertur, aquae ejus ex subterraneis mea-  
tibus frigidissime in fontem veniunt, in quo illico fervent et ex  
stantibus incolis eis, qui pro re aliqua recte juraverunt, dulcis  
et suavis et sanus est, dejerantibus vero adversus ex fonte  
prosiliens aqua, tamquam in hostes, oculos, manus, pedesque  
talium feriens hydropisis atque depilationis aegritudines infert,  
nec eis illaesis abire possibile, donec perjurium suum fatean-  
tur iis, quorum in praejudicium dejerarunt. Sic et avarus  
Midas, rex Phrygum, aurum pro deo colens impetravit a  
Baccho, ut, quidquid tangeret, aurum fieret. Deinde ut factum  
est, fame perit mortuusque in Pactolum fontem, qui aureas  
arenas habet, projectus est, ut in auro putresceret, qui absque  
auro vivere recusaverat; per quae enim quis peccat, per haec

